DE VARIIS

INFLAMMATIONIS INTESTINI COECI GENERIBUS.

ADJECTA TYPHLITIDIS ACUTAE OBSERVATIONE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHICA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

DIE XVIII. MENSIS DECEMBRIS ANNI

MDCCCLIV.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOSEPHUS KOCH,

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

KAMINSKY, MED. CAND.

LAEMMERHIRT, MED. DR.

WYNEN, MED. CAND.

GRYPHIAE,

TYPIS FRIDERICI HACHE.

Sicut ventriculus, duodenum, ileum, colon et rectum separatim inflammari possunt, unde nomina gastritis, dodecadactylitis, ileitis, colitis proctitisque in nosologia inveniuntur, coeco etiam diathesis ad inflammationem idiopathicae adscribenda est. Cujus et processus vermiformis phlogosi, si aliae tubi intestini partes vel integrae sunt, vel per consensum afficiuntur, autores nomen „typhlitis“ ex graeco verbo τὸ τυφλὸν i. e. intestinum coecum adtribuerunt.

Antequam inflammationem ipsam describam, mihi liceat de anatomia et physiologia intestini coeci nonnulla verba facere.

Intestinum coecum s. caput coli est pars et initium quasi intestini ampli paullulum dilatatum, ad instar sacci deorsum coeci et conici, infra intestini ilei insertionem descendens duos circiter digitos longum, minus latum, atque sursum cum coli ascendentis origine continuo cohaerens. Ex postica sua et interiore peripheria, prope inferiorem partem proficiscitur processus vermiformis s.

appendix vermicularis tres ut plurimum digitos longus, qui forma vermis indutus sursum vertitur et in apicem rotundum exit atque in hac parte clausus, quum pars coeco adnexa apperta sit et cum coeci cavitate communicet, interdum tamen in insertione valvulam incompletam habeat. Quod attinet ad membranas, quibus coecum ejusque processus vermicularis constant eaedem fere sunt ac intestini tenuis. Primum quidem et externum stratum membrana serosa, pars peritonaei, coeci fundum et processum vermicularem circumvolvit, superioris vero intestini partis cujusdam superficies posterior vel a peritonaeo libera tela cellulosa laxa vel peritonaeo interdum ipsi, nomine mesocoeci, ad fasciam iliacam affigitur; quo fit, ut parum moveri possit, processus vermiformis vero ob plicam triangularem, quae mesenteriolum dicitur, cum mesenterio junctam, expeditissimam mobilitatem praebeat.

Membrana media, s. tunica muscularis, e strato externo fibras longitudinales et strato interno fibras circulares habente construitur, quae quidem fibrae longitudinales coeci ipsius in tres aequo fere spatio disjunctos fasciculos, ligamenta nominatos, quasi compressae, exterae taeniae videntur atque eo, quod ceteris intestini membranis breviores sunt, sinuosam earum contractionem, qua cellulae coli formantur, efficiunt. Quo loco processus vermiformis oritur, taeniae appropinquantur et quasi confluunt, ita ut appendicem aequabiliter tegant. Fibrae circulares eadem tam coeci quam appendices ratione intestini cavitatem circumdant.

Tertium et quidem gravissimum stratum, tunica mucosa, tenui tela cellulosa cum tunica musculari juncta a membrana mucosa Jeiuni et Ilei maxime differt, desunt

enim villi et valvulae conniventes, conspicitur plana atque laevigata, microscopio adhibito subtilissimis rugis praedita, at vero una cum tela musculari in coeco ipso tres per taenias divisos plicarum sigmoidearmu ordines, externis stricturis cellularum oppositos, nec non perpendiculares et paribus fere intervallis in intestini cavitatem prosilientes, producit. Circa ostium ileo-coecale plica infundibulo similis coecum versus apparet, valvula coli s. Bauhinii, s. Fallopiae, s. Tulpii, quae ex duobus semicircularibus, oblongum rimae simile ostium circumcludentibus plicis, altera superiore altera inferiore, membranae mucosae duplicaturam manifestat, cujus inter lamellas, alteram ileum versus concavam villis adhuc plenam, alteram coecum versus convexam plane laevem, fasciculus fibrarum circularium continetur, quo fit, ut ostium centrale claudi possit. Superficies membranae mucosae interna omisso epithelio cylindraceo, organis digestionis maxima ex parte commune, duplex glandularum genus, quum glandulas oblongas agminatas, glandulis Lieberkuehnianis, tum rotundas, planas, glandulis solitariis intestini tenuis correpondentes, easque segregatas et sparsas, in coeco, in processu vermiformi plus minus pressas, complectitur, quarum ductus excretorii cribrosam membranae speciem exhibent.

Vasa sanguinem afferentia, rami arteriae ileocolicae, ex arteria mesenterica superiore orientes, in duos ramulos divisa intestinum amplectuntur; usque ad tunicam cellulosam, quae tunicam muscularem cum mucosa conjungit, penetrant, latere non affixo per anastomosin confluunt et reti capillari interjecto in venas ileocolicas,

quae in venam mesentericam superiorem exeunt, sanguinem reducunt. Vasorum lymphaticorum maxima pars ad glandulas mesentericas ducitur; nervi sympathici partim e plexu mesenterico superiore, partim ex inferiore oriuntur. Intestinum coecum hominis omnivori anatomia comparata nos edocuit aeque ac totum tractum alimentarium medium tenere inter coecum animalium, carnivororum, quae coecum parvulum habent, et animalium herbivororum, quae longissimo coeco praedita esse solent. Quamvis functio, utrum sit specifica an intestinorum amplorum communis non satis appareat, hoc tamen experimentis institutis statuendum videri potest.

Ilei contenta in coecum traducta structura et situ valvulae Bauhinii ne in intestinum tenue redeant, prohibentur, tum vero glandularem coeci et processus vermiformis secreto, quod tunc largius effunditur, miscentur, et quae organismo sunt utilia resorbentur, reliqua colo, ut faeces porro formentur, traduntur. Ilei contenta partim e ciborum reliquiis neque ventriculi et intestinorum tenuium digestione solutis, neque certo modo mutatis, leguminibus, chlorophyllo, fibris ligneis, tela cornea, partim ex singulari ante concoctionem cibo, insolita materia, quae dum digeritur, e canali cibario ipso advehitur, muco pigmento, adipe, resina et bilis partibus excrementiis constant, quae quidem omnia, simulatque coecum intrarunt, glandularum secreto, succo enterico et muco exponuntur. Mucus nihil aliud efficit, quam ut, ubicunque reperiatur, membranam mucosam tum lubricam reddat, itaque ab ingestorum injuriis tueatur, tum contenta ipsa conjungat, liquefaciat et motionem eorum sublevet. Ma-

joris momenti succus coeci entericus est, qui quidem ex Valentini sententia non modo non semper acidam, verum etiam constanter alcalinam reactionem praebet, quamquam in contentis ipsis acidum non conjunctum interdum cognosci possit.

Hunc succum Eberle statu jejuno sapore salino, neutra reactione, digestionis vero tempore, vel quum membranam mucosam corpore alieno tangeret, quo magis cujusdam generis ingestis stimularet, eo acidiore qualitate praeditum invenit. Qua de caussa coecum alterum quasi ventriculum esse ejusque functiones repetere statuit. De acida reactione coeci animalium Schultz alia experimenta instituit, quae alkalinam vel neutralem esse fluidorum coeci naturam cibo non adducto, alias vero et inter digestionem acidam facilius evadere demonstrant.

Apparet igitur ex omnibus, quae antea commemoravi, succum coeci entericum modo acidum esse inventum modo alkalinum, tempore autem quo cibi digerantur, acidam indolem semper habere.

Inflammationem coeci et processus vermicularis in antiquorum autorum operibus aut plane omissam aut cum totius intestinalis tubi morbis semper conjunctam in venimus.

Petrus Frank in opere quod inscribitur: de curandis hominum morbis epitome, primus inflammationum intestinalium mentionem facit, sed quum rem paucis verbis tractat, tum symptomata quorum similia in exemplis recentiori aetati observatis vix agnoscas, commemorat. Transeo ad John Abercombie (Ueber die Krankheiten des Darmkanaals. Aus dem Englischen von H. Wolff. Bonn

1822. pag. 139) qui historiam satis gravem ulcerationum coecum puellae cujusdam tredecim annos natae destruentium prodidit, sed hunc morbi locum ob aliarum observationum inopiam fortuitum, ut videtur, putavit. Etsi jam priore tempore vitia coeci et processus vermicularis organica satis perspecta fuerunt, quum jam Meckel, Delius, Fuerstenau illum processum deficientem; Fleischmann duplicatum cernerent; tamen inter primos, qui inflammatorium hujus organi statum palam fecerunt Dr. Louyer-Willermay (Archives générales de médicine Tom. V. pag. 246.) referendus est. Quem postquam academicae medicae Parisiensi dissertationem, qua acutam e tenebris et silentio protulit formam tradidit, mox Mélier (Journal général de médicine. Septbr. 1827 pag. 317.) Sömmering, Amyand (Encycl. method. Tom. II. pag. 286.) Bodey; Corbin; Jadelot; Unger, (Comentatio medico-practica de mobris intestini coeci et de dignitate hujus visceris pathologica in dijudicanda passione colica et iliaca (Lipsiae 1828. p, 30.) aliique secuti sunt. Maximam vero laudem typhlitidem investigando eamque singularem quandam et signis, symptomatibus et exitu excellentem demonstrando Puchelt, Copland, Albers, Burne, Rokitansky alii sibi pepererunt. —

In inflammatione coeci et processus vermiformis si Albers sequi mihi licet hae formae distinguendae sunt. Typhlitis simplex, typhlitis stercoralis, Inflammatio processus vermiformis; Perityphlitis; quae quidem genera acutum vel chronicum decursum emetiri possunt.

Typhlitis acuta simplex plerumque raptim et sine prodromorum stadio intrat. Imprimis animadvertitur dolor

ardens in regione coeci, qui quum regionem iliacam dextra manu presseris, exacerbatur vehementer, sed situ in latere dextro non augetur; dolor circumscriptus in regione iliaca fixum et constantem tenet locum, quod signum typhlitidem praecipue a ceteris intestini tubi phlogosibus distinguit. Raro paullisper cessat, at excretione alvi plerumque exacerbatur. Expansio et durities quaedam ex regione iliaca dextra exeunt et in regione umbicali cessant. Dolor et torpor, interdum etiam dolores pungentes, qui raptim incipiunt et desinunt, in pelvim atque secundum femur dextrum, teste dextro cum funiculo spermatico ad annulum abdominalem sublevato, diffunduntur. Lingua signum specificum non dat, quum aut pura aut muco albo vel flavo obtecta esse possit, sed fauces sunt aridae et permagna sitis adest.

Reactio febrilis est permagna, pulsus frequens, subdurus, sed satis contractus; cutis ardens initio sicca, at postea sudoribus male olentibus obtecta; urina rubra. Aegrotus magno angore laborat, nec dormire potest. Dolores et anxietas in horas crescunt, permagna virium defectio oritur. Pluribus frequentibus sedibus tenuibus quae unum vel duos dies durant, nec constipatione alvi variantur, evanescit dolor et tentio abdominis; multus mucus evacuatur plurimum sanguine commixtus et postea si morbus deminuitur albus et purulentus et sedibus in secundo stadio Bronchitidis similis est, sed non amplius quam in hoc morbo, pus verum haberi potest. Inflammatio ab initio in membrana mucosa coeci sedem habet et quun tunica musculosa inflammatione afficiatur vehementiores fiunt dolores. Morbus ut plurimum non diutius,

quam septem dies durat et diarhoeae mucosae sudoresque et urina cum sedimento colore albo-flavo crises efficiunt, quae nisi sunt completae, facillime chronicum statum inflammatorium cum diarrhoeis diuturnis relinquunt. Transitus in suppurationem raro tantum accidit, sicut omnino in membranae mucosae affectionibus, ulceraque in coeco intestino reperta maximam partem ad inflammationem chronicam pertinent. In hac inflammatione simplice etiam raro transitus in gangraenam evenit, interdum tamen emollitio membranae mucosae sequi videtur. Mors tum tantum, si inflammatio majores tubi intestinorum partes capescit, consequitur. Quod attinet ad aetiologiam Albers ex sua experientia usum acidorum et acerborum ciborum, vini recentioris, praesertim refrigerium accusat.

Ad id genus inflammationis coeci, quod stercore accummulato gignitur, typhlitidem stercoralem, omnia fere exempla pertinent, quae typhlitidis observatores narrant. Differt a simplice inflammatione praeeuntibus stercoris accumulationibus, obstructione alvi, inclinatione ad abscessus et gangraenam, quapropter autores francogallici abscessum phlegmonosum *) regionis iliacae dextrae eam appellant.

Liceat mihi hic quoque Albers sequi.

Tria spatia cognosci possunt, primo atonicus est intestini status et symptomata stercoris accumulati apparent, ex quo deinde inflammatio nascitur, cujus exitus tertium

*) Pèzerat, sur un abcès phlegmoneux du flanc et de la fosse iliaque du côté droit. In Journal complémentaire du dictionnaire des sciences médicales. T. XXXIII, p. 268 et seq.

formant. Cum stercore paullatim accumulato primum stadium lente sensimque oritur. Evacuationes intestini rarae fiunt modo pulti similes modo crassa faecali materia; tertio aut quarto quoque die contingunt neque cum cibis acceptis comparari possunt; appetentia quidem ciborum plerumque adest saepe vero maxime aucta, saepe deminuta fit, quum acidum, vapores, gustus blandus gignantur. Abdomen extumescit, tenditur et in regione iliaca dextra plerumque tumor non dolens cognosci potest, qui aliqua tenus differri potest, initio frictione parva evanescit et sonum percussionis obtusum praebet.

Supra regionem umbilicalem interdum dolor vehemens nascitur; aegrotus valde inquietus est, laborem fugit, somnum brevem habet, maximam partem somniis interruptum, facile languescit, valdeque frigore afficitur; sunt manus frigidae simul cum affectione ad sudores; facies pallescit, oculi sunt circumdati annulis coeruleis, urina saturata, turbida; interdum aegrotus torporem cruris dextri et regionis lumbalis queritur. Qui status non raro febri gastrica accedente finitur simulac frequentes sedes fieri possunt; interdum repente aut paullatim transitus in inflammationem sequitur. Dolor in regione iliaca dextra initio tum valde circumscriptus est, plerumque non vehemens, aegrotus non cubare potest, nisi in dorso, aut Coplando auctore in latere quoque dextro, dolor compressione augetur; postea aliae etiam partes eo afficiuntur, superficialis etiam interdum fit et pungens, prout in membranam mucosam et intestinum diffunditur, aut peritonaeum et tunicam cellulosam capescit; quod discrimen plurimum valet in exitu proximo. Ad hoc accedit, animi

sollicitudo et dolores colicae instar circum umbilicum. Tumor in regione iliaca dextra distincte sentiri potest et non planus est; postea expansio totum abdomen corripit, quod, si percusseris, obtusum sonum reddit, quamquam tympanitidis speciem praebeat. Brevi tempore constipatio alvi exoritur, quae, sicut inflammatio crescit, augetur et tum demum sedibus pultis similibus finitur, si phlogosis desinit. Deest appetentia ciborum, lingua quidem non valde est obtecta. Cum constipatione simul ructus et vomitus apparet, etiam ileus adesse potest. Symptomata universalia sunt eadem quae in febri gastrica inflammatoria animadvertuntur. Pulsus frequens, acutus et subdurus, magna sitis et appetentia potus frigidi. Temperies adaucta, buccae rubrae, magna anxietas, dyspnoea, permagna virium defectio; urina rubra et turbida. Etiam in hoc stadio torpor dolens cruris dextri et adtractio testiculi ad annulum abdominalem non deficiunt. Inflammatio si subito intravit, sex ad decem dies durat, si paullatim, etiam quatuor hebdomades durare potest. Sanatio primo stadio saepe sua sponte fit, quum sedes largae pulposaeque appareant. Plerumque autem vapores, inclinatio ad obstructionem alvi, sitis, lassitudo remanent. Si inflammatio longius durat aut non, ut opus est, tractatur a medico, ulceratio, et plerumque quidem in tela cellulosa intestini coeci oriri potest. Tumoris expansio crescit et rubrum ostendit colorem, deinde abscessus fistulis saepe compluribus in abdominis musculis formatis, patefit. Sed hic eventus non semper contingit; nam saepe ulceratione intestinum et quidem plerumque in pariete posteriore perforatur, contentum tubi intestini effunditur in cavum ab-

dominis, ex quo sequitur magnus collapsus virium et cita mors. Haec inflammatio etiam in gangraenam facile transire potest.

Inflammatio processus vermiformis, quae saepe cum typhlitide est conjuncta et, ut videtur, semper irritatione processus vermiforis aut contento intestini ingrediente aut corporibus alienis, celerrimum vehementissimis symptomatibus decursum facere solet.

Decursus morbi similis est praecipue incarcerationi inflammatoriae intestinorum partium, quae in gangraenam et perforationem partium exit. Saepe stadium prodromorum breve animadvertimus, persaepe autem hic morbus subito incidit cum doloribus colicae instar vehementissimis aut cum dolore vehemente in loco abdominis stricte fixo, quem valde vivax vomitus muci et fellis consequitur aut praeit. Aegrotus valde anxius et inquietus fit, regio iliaca dextra compressione plus minus dolens est abdomen expansum, testiculus dexter ad annulum abdominalem sublevatur. Lingua plus minus obtecta, fauces siccae; sitis vehemens, pulsus initio non valde mutatus, postea frequens et subdurus. Si in gangraenam transit inflammatio, interdum frigus sentit aegrotus, vires collabuntur, pulsus fit minimus, frequens interdum non potest animadverti, extremitates frigidae fiunt, aegrotus plerumque subito quietus minus accusat dolores, delirium oritur, cutis sudore frigido obtecta est et mox vitae finis sequitur.

Plerumque hic morbus, quum inflammatio mox in gangraenam transeat funestum habet exitum. Unum casum Melier commemorat, in quo typhlitide stercorali saepe praetermissa inflammatio processus vermiforis tardiorem de-

cursum fecit et abscessu, quem Dupuytren cultro patefecit, qua re plures exsteterunt fistulae, ex quibus tamen nunquam materies faecalis effusa est, quamquam post mortem fortuita peritoneitide consecutam inventum est, processum vermiformem perforatum in abscessum se aperuisse.

Quod attinet ad caussas hujus morbi, coeci sacco similis forma singularis praedispositio est, quae formatio quibusdam hominibus est congenita *) deinde adhaesiones abnormes, laxatis tubi intestini imprimis in senectute; labores, quibus assidere semper opus est; usus ciborum, qui constipationem alvi efficiunt; non minus alimenta peracida, acria denique omnes caussae quae obstructionem alvi efficiunt, hunc morbum producere possunt. Etiam corpora dura, quae in coecum veniunt, possunt stimulum inflammationis praebere. Bremer commemorat casum, quo ramenta stanni quibus ad vermes ejiciendos usus fuerat in processu vermiformi remanserant eundemque inflammaverant **).

Perityphlitis, primum a Puchelt inflammatio telae cellulosae, quae coecum cum musculis iliacis conjungit ***) a Copland inflammatio membranae pericoecalis, a medicis francogallicis tumor inflammatorius fossae iliacae dextrae perhibetur. Morbus incipit subito cum doloribus rheumatico-inflammatoriis aut colicae similibus in regione hepatica aut supra regionem umbilicalem. modo autem transiit

---

*) Holscher, Hannov. Annalen. Bd. 1. H. 2. 1836.
**) Rudolphi's Physiologie. Th. 2. Abtheil. 2. S. 226.
***) Puchelt, Heidelb. clin. Annalen. Bd. VIII. S. 524. 1832.

in initium coli. Dolor circuitu modico definitur et pressione externa, sternutatione, tussi, etc. augetur, eodem tempore hic locus est durus et exspansus et tumidus. Sedes rarae sunt, sed si diaetae vitia morbi caussae sunt diarrhoea nonunquam adest, plurimis autem casibus obstructio alvi vehemens dominatur.

Interdum vomitus morbum comitatur, appetentia ciborum deficit, lingua valde obtecta est. Torpor et dolor cruris dextri, ut Albers commemorat, multo majores quam in aliis intestini coeci inflammationis generibus sunt. Urina saepe cum doloribus urethrae emittitur; cutis satis sicca est, febris inflammatoria et pro constitutione individuali ac magnitudine inflammationis quae, licet raro, attamen interdum coecum ipsum immo vero colon corripit, plus minus vehemens.

Frigor et dolores vagantes non sunt observati: Hoc modo morbus qui initio minoris momenti esse videbatur unius aut duarum hebdomadum spatio maxime vehemens, immo vero ileus fieri potest.

In individuis scrophulosis in quibus plerumque caussa externa hoc genus morbi scrophulosi genuit, decursus valde tardus est, ut Löschner dicit.

Hic morbus, si a medico apte tractatur, resolvi solet, sed redire potest, aut si negligitur in suppurationem transit quod plerumque in puerperis fit.

Abscessus telae cellulosae qui tum imprimis individuis scropholosis existit longe serpit, usque ad renes proficisci aut externe se aperire potest et, quum casus hectici aut colliquativi adgrediuntur, paullatim vires exstinguit, aut ulceratio se extendit ad proximas intestini partes

aut ad coecum aut saepius ad processum vermiformem, quo casu effusio materiae faecalis in cavum peritonaei fit, et peritoneitide aut hoc modo provocata aut saepe sua sponte congressa mors sequitur. Etiam annus praeter-naturalis existere potest, quo interdum fit, ut vita aliquamdiu servetur.

Roesch observavit quum tumor perityphliticus mollis factus esset et fluctuaret, sudores et in urina sedimentum voluminosum puri simile adparere, quo factum, ut morbus in sanitatem redierit *). Exitus in gangraenam tum demum sequi videtur si accumulationes stercoris in coeco fuerunt morbi caussae.

Caussae, quibus perityphlitis provocatur, sunt labores quibus assidere semper opus est, iique praesertim ab hoc morbi corripiuntur, qui cupri et plumbi praeparata tractare solent, quales sunt pictores, dealbatores, colorum tritores, caementarii, fabri aerarii, etiam domicilium humidum, abusus frigidi lintei, vitia in ratione victus, nec non nimius spirituosorum abusus. Interdum praeierunt rheumatismus articulorum et musculorum. Puchelt imprimis refrigerium accusat. Animi etiam affectiones hunc morbum efficere videntur. Imprimis aetas puerilis et media virilis praedispositonem ad hunc morbum praebet. Loeschner jure contendit hunc morbum statum secundarium in puerperarum peritoneitide, metrophlebitide, oophoritide aut omnino si infiltrationes membranae mucosae formarentur, existere posse. Etiam perityphlitis

---

*) Roesch, Würtenberg. medic. Correspondenzbl. 1843. No. 37.

menstruatione incipiente aut cessante aut suppressa saepe observabatur, quamquam hic morbus rarius apud sexum femininum quam masculinum est.

Diagnosis inprimis in stadio incipiente multas difficultates praebet, nam etiamsi exploratio localis obstat quoniam cum enteritide, gastritide, hepatitide, Cystitide, metritide, colitide commutetur tamen cum inflammatione ovarii dextri, psoitide, typhlitide, inflammatione processus vermiformis commutari facile fieri potest; ceterum autem in oophoritide plerumque simul symptomata uterina adsunt, in psoitide deficiunt plurimum symptomata gastrica, crus est immobile aut motio ejus est vehementissime dolens et plerumque dolor symptomaticus genu adest; tumor quoque etiamsi suppuratio oritur nunquam tam circumscriptus et prominens est. In typhlitide dolor ab initio magis fixus, symptomata intestini distinctiora, tumor magis mobilis et eminens, febris vehementior. Si processus vermiformis est inflammatus tumor deest. — Quod attinet ad prognosin, apparet ex ratione ab Wilhelmi instituta, ex sexaginta sex 'aegrotis duo de sexaginta sanatos esse, octo tantum morti succubuisse *). In hominibus scrophulosis periculum esse multo majus quam in aliis hoc morbo correptis facile intelligitur; nam in scrophulosa viribus naturae medicatricibus per se debilioribus corporis dyscrasia et cachexia expugnanda est atque inflammatio multo facilius in suppurationem transit.

Typhlitis chronica, quae non solum aut ex inflammatione acuta nasci aut cum typho conjuncta esse sed etiam

---

*) Wilhelmi de perityphlitide dissert. Heidelb 1837. 8. pag. 30.

per se exsistere potest, saepe vitam per longum tempus comitatur.

Initio aegrotus nihil fere aliud, nisi fuciem pallidam praebet, lassitudinem interdum colicae dolores, qni ex regione iliaca dextra exeant, accusat.

Lingua in radice obtecta est in marginibus et apice rubra aegrotus cubat plerumque in latere dextro, dum corpus pronat et crura adtrahit, alius situs ei est mollitus. Si abbomen exploratur, sensibilitas aliqua et interdum durities in profundo regionis coecalis adest alvus tenuis, mucosa, evacuatio doloribus comitata, saepe autem obstructio adest. Si coecum valde extensum est urina persaepe mittitur, torpetque crus in malleolis plerumque oedematose. Appetentia ciborum et pulsus saepe non sunt abnormes, donec morbus majores facit progressus aut inflammatio fit acuta. Inflammatione in suppurationem aut in ulcerationem transeunte diarrhoea cruenta a Copland observata est.

Ulcera intestinalia in coeco persaepe observata sunt. Ulcera morborum acutorum valvula Bauhinii definiuntur, ea, quae in morbis chronicis adparent, in regione valvulae incipiunt et praesertim colo insunt; ulcera in coeco sedentia saepe magna esse possunt et interdum totum fundum ejus corripiunt; oriuntur ex membrana mucosa, totam intestini parietem penetrare possunt et eo modo mutationes quae sunt cum intestini perforationibus conjunctae, producunt. Inflammatio chronica densationem parietum intestini, quae saepe scirrhosa fit, efficit. Etiam

excrescentiae fungosae membranae mucosae formantur *). Bercley tradit historiam **) in qua commemoratur, coecum perduratum et perdensatum interne ulceribus fungosis obtectum cum ileo et colo ascendente concretum formasse magnum tuber scirrhosum. In casu quodam a Malin observato ileum erat materie faecali clausum, coecum maxime extensum, et tali modo cum flexura sigmoidea concretum ut ambo unum solum antrum in inferiore parte a vesica definitum formarent. ***)

Therapia.

In cura typhlitidis acutae sicut in colitide illud „principiis obsta" plurimi est aestimandum gravissimaque regula est observanda, ut omni modo statim impediatur, quominus morbus crescat, quia inflammatio completa re vera minorem spem dat, fore ut medicus ei medeatur.

Typhlitis incipiens largam venaesectionem possit et Berndt de hoc dicit: „praecipue medicis junioribus non satis commendari potest ut eam regulam observent, qui acutam intestini inflammationem una venaesectione hirudinibusque quibusdam extinguere vult, eum adhuc experientia in hoc medicinae genere deficit". Una ratio est, qua typhlitidem acutam in progressione coercere et sanare liceat, cauta et copiosa venaesectio. Quo magis mature et copiose venae sectiones adhibentur eo certius

*) Abercombie. Unters. über die Krankheiten des Mägens und Darmkanales S. 315.

**) Philadelphia Journal. Vol. VI. S. 350.

***) Schmidt's Jahrb. VII. 51.

eventum faustum sperare possumus. Applicatio hirudinum vel cucurbitarum cruentarum in loco dolente magna est utilitate sed nunquam sine venaesectione sufficere possunt et medicus pavidus qui largam venaesectionem non facit mutat inflammationem acutam in snb acutam, quare aegroti vita aliquot fortasse dies producitur, saepissime autem mors certa sequitur. Si medicus ad aegrotum venit, et pulsus adhuc non minimus est, statim venaesectio adhibenda est, quo fit ut pulsus liberior et tardior fiat. Venaesectio repetenda est, si pulsus iterum pejor fit, aut si aliquot horis praeterlapsis melior status aegroti non animadvertitur. In intensiore typhlititidis acutae gradu quatuor ad sex venaesectiones neeessariae fieri possunt. Est medici aegrotum saepe videre et diligenter observare et sanguinis detractiones brevibus intervallis repetere. Nam hoc uno modo mortem amovere potest. Quum cetera cura et externa et interna cum aliis inflammationis iutestini coeci generibus consentiat infra de ea scribam.

Nunc ad therapiam typhlitidis stercoralis transire liceat. Ut stercus in coeco accumulatum evacuari possit applicatio clysmatum et medicaminum purgantium necessaria erit, in qua tamen observandum est, plerumque partem intestini atonia esse affectam. Itaque non bonum est, statim drastica adhiberi, sed mitiora purgantia et si sedes sint secutae, atoniam tubi intestini removeri. Ergo emulsiones oleosae cum salibus purgantibus, decocta rad. Rhei, infusa Senegae, Oleum Ricini, Manna etc. praescribenda sunt. Albers dicit, extr. Hyosciami effectum purgantium alterare; Burne mixturae ex Senna et natr.

sulf. nonnullas guttas Tinct. Opii admiscere jubet. Copland laudat effectum Calomelanos in magnis dosibus, cui opium et extr. Hyosc. si ventriculus magna irritatione affectus est, admiscet. Eodem tempore in regione coeci unguenta ex Ammonio, sapone, terebinthina, camphore, oleisque aethereis infricari vult, etiam clysmata aperientia sunt applicanda in quorum usu observandum est, ut fluidum, quam alte potest, in intestinum penetret. Quae clysmata saepe sunt repetenda inprimis, si priores sine eventu refluxerint. — Si irritatio coeci jam in inflammationem transiit hoc ante omnia videndum est, utrum prius contra inflammationem ipsam pugnemus an remediis laxantibus evacuationem alvi efficiamus.

Nam si inflammatio jam vehemens est, purgantia irritatione non solum nocent, sed etiam evenire potest ut nihil provocent, dum inflammatio non est diminuta. At etiam in cura antiphlogistica hujus morbi generis viribus aegroti quantum potest, parci debet, partim ne intestinum debilius fiat, partim ut vires aegroto necessariae conserventur, quo contra suppurationem fortasse sequentem pugnare possit organismus. Si inflammatio est vehementissima et apud homines plethoricos venae sectiones sunt faciendae, plerumque sufficit in regione coeci et circa anum multorum hirudinum applicatio, quae postquam cessarunt, vulneribus quantum potest sanguinis emitti opus est. Interdum autem etiam largae sanguinis detractiones fiunt necessariae, sicut in casu ab Holscher*) relato, in quo intra quinque dies quattuor largae venae

*) Holscher Hannov. Annal. Band III. Heft 2.

sectiones et bis vicenae hirudines erant applicatae, quo effectum est, ut aegrotus celeriter sanaretur. Eodem modo cataplasmata in regione coeci imposita maximam utilitatem praebent. Non multo post primam sanguinis detractionem remedia apta ad sedes provocandas, exempli gratia Oleum Ricini; Emulsiones oleosae; Mixturae ex Senna et radice Rhei cum salibus, aut etiam magnae Calomelanos doses, praescribenda sunt eodemque tempore clysmata adjuvantia. Si abdomen etiam repetitis sanguinis detractionibus localibus dolens tamen manet, utaris in superficie interna cruris et abdominis cute irritamentis quae sunt vesicantia, sinapismata, aut ut Copland praescripsit, cataplasmata ex oleo therebinthinae et panno lanato tradita. Si eo modo inflammatio extincta et alvus, quantum satis, evacuata sit, quod exploratione abdominis per manum explorari potest, haud raro tamen vitia organorum digestionis, inclinatio ad obstructionem alvi, vapores remanent, quae medicaminibus solventibus amaris, aut obtegente abdomen emplastro ex oleo terebinthinae, resina, oleisque aethereis oppugnanda sunt.

Quod attinet ad curandam typhlitidem chronicam, difficilis est sanatio. Primum rationem habere debemus morborum causalium, qui sunt, arthritis, metastases, haemorrhoides etc. Intervalliis quibusdam hirudines applicandae sunt imprimis in regioni ani. Aegrotus nullum aliud nutrimentum sumat, nisi lac et alimenta mucosa. Contrastimulatio externa prope locum dolentem sustinenda est. Praeterea Hydr. mur. mit. cum extr. conii et Belladonnae junctum Berndt commendat.

Inflammatio processus vermif. quum magna vehementia et celeritate decursum faciat, celerrimum usum medicaminum efficacissimorum poscit. Largae, si opus est repetendae venae sectiones, applicatio hirudinum in regione iliaca dextra, fomentationes calidae, cataplasmata, vesicantia et clysmata purgantia adhibenda sunt. Maximam laudem secundum Volz *) quum phaenomena inflammatoria evanuerunt et exitus in suppurationem et ulcerationem jam instat praesertim in processus vermiformis inflammatione, opium ejusque praeparatum morphium, aut solum aut cum Hydr. mur. mit. junctum eo, quod intestinorum motum coercet sibi peperit.

Tum primum, quum inflammatio est deminuta etiam minus vehemens faustum effectum mitiorum laxantium medicaminum exspectare possumus, tumque etiam secundum Copland tempus est balneis tepidis utendi.

Inflammatio telae cellulosae coeci eodem ordine, quo abscessus in phlegmonosi curanda est, sed intestini proxime adjacentis caussa necessarium fit, ut tuber inflammatorium, antequam in suppurationem transeat, ad resorptionem, quantum fieri potest, reducatur. Quem ad finem hirudines et balnea, haec duo remedia secundum Puchelt efficacissima sunt, qui de iis ita loquitur: „Vulgo hic morbus duobus sanari potest remediis hirudinibus sufficiente numero ad locum dolentem applicatis et balneis tepidis statim post illas usurpatis. Haec duo remedia, satis mature adhibita nunquam fere nos deserunt. Om-

---

*) Volz in Haesers Archiv. Jena 1843. Band IV. pag. 305. et sequentibus.

nia alia remedia nihil valere videntur; inprimis dedi sal ammoniacum aliaque diaphoretica opiata, emulsiones oleosas cum aqua laurocerasi, calomel, magnesiam sulfuricam, omnia sine successu. Vidi hirudines, balneo non sequente, et balnea hirudinibus non praemissis adhiberi, ipseque ad hibui, neque illud auxilium ferebant, quod conjuncta ferre solent. Interea quibusdam in casibus repeti haec necesse erat."

Attamen per se patet, remedia refrigerantia, purgantia mitiora, clysmata, vesicantia non multum a loco dolente imposita negligenda non esse, praesertim quum febris vehemens adest aut phaenomena status suburalis inflammatíone fracta remanent.

Si post typhlitidem stercoralem abscessus formantur nihil aliud faciendum est, nisi effluxus puris quiete, potu emolliente et cataplasmatibus promovendus. Si haec remedia sufficiunt et abscessus in coecum aperitur culter non est adhibendus. Sin abscessus alibi erupturus videtur et cutis rubefit, abscessus justo tempore cultro aperiendus est.

In omnibus inflammationis coeci generibus diaeta apta ante omnia observanda est. Etiam persaepe morbo jam extincto per longum tempus adhibenda est quum convalescentes non solum vitiis digestionis et obstructione alvi laborare solent sed etiam maxime ad recidiva inclinent. Adversus haec vitia praeter jam supra commemorata remedia amara et solventia sicut aqua mineralis (Marienbader oder Kissinger) nec non fontes ferri roborantes, utilia esse possunt.

Historia morbi.

J. St. sartor in nosocomio nostro secundo die mensis Julii receptus viginti duo annos natus, corporis habitu valido cujus parentes adhuc sunt superstites atque ut ipse dixit, semper bona valetudine sunt usi. Ipse quoque nullo morbo se affectum esse ait, nisi ante septem annos scabie et acutis aetate infantili exanthematibus.

Tertio die antequam receptus est in nosocomium aegrotus sese noctu nudatum jacuisse tegumento, quo facto frigoris vi sit correptus deinde et in capite et inprimis in abdomine paullatim dolores exstitisse. Initio morbi medicum nullum consultavit, quum autem in dies dolores vehementer crescerent et febris advenisset, in clinicum nostrum portatus est.

Aegrotus ut jam supra diximus habitu corporis valido, constitutione venosa. Corpus pronatum et contractum, dextro in latere femoribus ad abdomen adductis cubat; quod attinet ad valetudinem universalem pulsus aegroti ad centum et decem ictus est auctus, subdurus, acutus etiam dici potest, calor corporis non est aequaliter divisus, quum extremitates sint magis frigidae quam ipsum corpus; respiratio difficilis, frequens, superficialis, lingua sordido muco obtecta; facies pallida atque collapsa, magnam animi sollicitudinem indicans, appetentia ciborum deficit, saporem amarum et ingentem sitim nec non obstructionem alvi accusat aegrotus. Si perscrutamur abdomen invenimus in coeci regione in definito loco spatium sex pollices longum magno dolore affectum, qui minimo tactu augetur.

Ceterae abdominis partes non sunt dolentes; ex loco dolente dolores in pelvim et secundum femur dextrum expanduntur et sensum torporis provocant. Quum vomitus nondum adsit ex symtomatibus memoratis et caussis occasionalibus perityphlitidem adesse cognoscitur. Itaque venesectio unicarum fere duodecim statim instituta est, hirudinum quindecim in loco dolente abdominis applicatio et ad usum internum hydrarg. chlor. mit. grana duo singulis horis snmmenda praescripta sunt. Vespere quum obstructioalvi semper adesset clysma simplex applicatur.

Die non quidem febris sed dolores nonnihil deminuti erant abdominis tumescentia ex regione iliaca dextra ad regionem umbilicam exstiterat, nec non meridie vomitus oriebatur, iterum venaesectio instituta quumque eadem constipatio alvi cerneretur, clysmata sunt repetita. Ad usum internum: Emulsio sem. pap. cum Kali sulf. ℥j ordinata est. Tertio die aegrotus per noctem non dormivit, inquietus est, vomitus semper adest sed sedes nullae fuerunt, quum clysmata, sine eventu effluxerint, dolores non sunt tam vehementis quam pridie contra constirpationem alvi iterum clysmata hirudines quindecim in loco affecto, balneum tepidum, cum venae sectione repetita, praescrípta sunt, medicamenta interna ut pridie; pulsus centum et viginti ictus habuit. Vespere aegrotus tranquillus et ipse se melius habere profitetur; pulsus centunmet decem habet ictus, plenior aliquantulum et paullulum liberior est, extremitates autem satis frigidae. Die quarto: aegrotus sedes habuit duas per noctem glebosas et colore nigrogriseo, dormivit aliquot horas, urina sedimentum colore flavȯ habet, transpiratio apparuit et sudat

aegrotus, dolores fere evanuerunt, et aegrotus cibos appetit, sed strenua blanda diaeta praescripta est, lac et panis triticeus balneum tepidum repetitur, sed medicamenta interna non data sunt. Pulsus semper quidem centum ictus habet sed magis plenus est et liber.

Die quinto: Aegrotus per noctem iterum non dormivit, dolores vespere praeterito ad decimam fere horam subito reverterant et perdurabant. Plures vomitus materiem fuscam subnigram ejecerunt, facies decomposita extremitates frigidae, sudores viscidi, permagna sitis ardens, pulsus per sexagesimam horae partem habet centum et quadraginta ad quinquaginta ictus, parvus erat et filiformis. Quamquam semper stricta diaeta blanda aegroto ordinata erat, tamen heri concoctum pisorum ederat, quae caussa hujus pessimae mutationis esse videbatur. Haec quidem omnia mortem denuntiabant propinquam, attamen venaesectio repetita et balnea calida bihorío adhibita, ad usum internum glaciei particulae summendae praescriptae sunt, sed omnia erant frustanea; die sequente aegrotus mortuus est.

In obductione cadaveris facta haec inventa sunt: In aperta abdominis cavitate magna materiae copia colore et consistentia puris mali, adhaesiones intestinorum inter se et ad peritonaeum in regione coeci; coeci vero ipsius tunicae omnes inflammatae erant et pars ejus inferior duas pisi magnitudine aperturas ostendit; processus vermiformis vehementer inflammatus erat et facillime lacerari poterat.

VITA.

Natus sum Josephus Koch, fidei catholicae, addictus, Coloniae Agrippinae patre Christophoro, matre Elisabetha e gente Schorn, quos adhuc superstites, qua decet pietate colo.

Primis litterarum elementis eruditus tempore auctumnali anno h. s. XLI. Gymnasium adii Düsseldorpiense, quod frequentavi per annos octo. Tum Monasterium me contuli, quo post annum maturitatis testimonio sum instructus. Eodem anno Academiam Regiam Monasteriensem adii, cujus inter cives receptus ab Ill. Berlage t. t. Rectore Magnifico, philosophiae studiosis adscriptus sum ab Ill. Wisniewski t. t. Decano maxime spectabili.

Ibi per annum aliis omissis hisce interfui lectionibus.

Ill. Esser: de psychologia, de logica.

Exp. Hittorf: de chemia experimentali, de chemia analytica de physica.

Exp. Karsch: de histor. natur. de Zoologia de botanice.

Tempore paschali b. s. anni LI. Gryphiam me contuli ibique ab Ill. Kosegarten Rectore Magnifico in numerum civium Academicorum receptus sum apud Ill. Berndt t. t. gratiosi medicorum ordinis decanum maxime spectabilem rite nomen snm professus.

Per septem semestres hisce lectionibus interfui.

Ill. Tillberg: de Physice.

Ill. Hünefeld: de chemia, de mineralogia de geologia. —

Ill. Münter: de botanice et zoologia.

Eundem in excursionibus botanicis secutus sum. —

Ill. Mathies. de logice et metaphysice.

Ill. Stiedenroth: de psychologia.

Cel. M. Schultze: de osteologia, de syndesmologia de histiologia corporis humani, de anatomia comparata.

Exp. Pohl: de morbis syphiliticis, de tumoribus de morbis chirurgicis colli.

Exp. Haeckermann; de morbis pectoris una cum exercitationibus practicis in auscultatione et percussione, de medicina forensi, de politica medica, de morbis cerebri.

Cel. Laurer: de arte formulas medicaminum rite concinnandi, de arte fascias chirurgicas rite adligandi, de materia medica.

'el. Eichstedt: de arte obstetricia, de exercitationibus obstetriciis practicis, de operationibus obstetriciis

de morbis infantum, de morbis mulierum; Idem dux mihi fuit in clinico obstetricio.

Ill. Haeser: de encyclopaedia et methodologia medicinae, de pathologia et therapia generali, de semiotice et diagnostice generali, de historia medicinae.

Ill. Schultze: de anatomia generali, de physiologia hominis, de anatomia pathologica, de arte cadaverum rite dissecandarum.

Ill. Bardeleben: de chirurgia universali, nec non speciali, de aciurgia, de ossium fracturis et luxationibus, de herniis, de ophthalmiatrice. Idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis practicis in cadavere instituendis nec non in nosocomio chirurgico et ophthalmiatrico.

Ill. Berndt: de pathologia et therapia speciali, de morbis ventriculi et intestinorum, de arte obstetricio. Eundem etiam in clinico medico et obstetricio ducem habui.

Quibus omnibus praeceptoribus summe colendis gratiam quam maximam habeo et habebo in aeternum.

Jam vero tentaminibus quum philosophico tum medico nec non examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque meis publice defensis, summae medicinae, chirurgiae, artis obstetriciae in me conferantur honores.

THESES.

I.

Narcotica excitando sedant.

II.

Multa medicamenta etiam officinalia sunt superflua.

III.

Omnia fiunt ex fluidis.

IV.

Sunt morbi, quos sanare non licet.

V.

Certum remedium antisyphiliticum non exstat.